

58
siderare, & ad Lydium lapidem Propheticae & Apostolicae scripturae exigere.

25. Afferit ille, literalem verborum Christi sensum salva fide teneri non posse, lib. 3. cap. 6. (secutus Calvinum, scribentem in forma consens. pag. 24. qui praecise literalem sensum urgent, eos tanquam praeposteros interpretes se repudiare) & disputat, locutionem verborum: Hoc est corpus meum: non esse regularem, nec identicam, nec inusitatam. cap. 7. Et consideratione Logica non esse Tropicam vel figuratam, sed irregularem seu impropriam. c. 8. Rethorica autem consideratione esse figuratam seu Tropicam. c. 9.

26. Figuratam esse probat his argumentis. 1. Omnis impropria locutio vera, inquit, est figurata, seu est vera per aliquem Tropum. Haec est talis, Ergo R. 1. Propositio non est complete universalis. Fallit enim in Propositionibus Personalibus. Et aliae etiam possunt dari ^{ἐν ταῖς} ex ipsorum Calvinistarum scholis. 2. In assumptione distinguo inter propositionem Christi: Hoc est corpus meum: & alteram Ecclesiasticam: Panis est corpus Christi. De quo discrimine monuimus superiori disputatione thes. 70. 3. D. Paulus mutat subjectum propositionis, mutat etiam predicatum. Non enim dicit panis, quem frangimus est corpus Christi, sed ^{ἡ ζωὴ} corpus Christi. 4. Quare non ibi praedicatur absolute una substantia de altera: sed in actione sacramentali, nempe manducatione, propter unionem dicitur panis ille Christi corpus, quia per panis illius benedicti distributionem communicatur nobis corpus Christi, hoc est, est descriptio panis illius ab officio Sacramentali in sacra caena: quod officium ex verbis institutionis sacrae caenae plenius cognoscendum est. 5. Neque unquam demonstrabit Auctor ille, particulam Hoc notare solum panem. Nam quae ex D. Luthero in eum finem profert, ad ea responsum fuit in disputationis. 1. th. 88.

27. Argumentum 2. Quicquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referrì potest, figuratum est.

Resp.